



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 67. Burgundi indignatio ob pacem inter utrumque Regem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Galliarum Regi Eduardi vota exponebat, cui tamen Gallus respondit, Regis Angli præsentiam sibi gaudio, & Parisiensibus summo honori futuram : Cum vero Ludovicus vereretur, ne Eduardus Parisiensis urbis illecebris captus, diuturniorem ibidem moram traheret, ac forte sæpius illuc veniret, (\*) Eduardo significari fecit, se proxime exercitum suum ad Campanniæ fines movere compulsura esse, ut adversus Burgundiæ Ducis insultus Lotharingiæ Ducatum tueretur. Unde Eduardus curiositate sua minime expleta Angliam conscensis navibus repetere decrevit.

## §. LXVII.

*Burgundi indignatio ob pacem inter utrumque Regem.*

Burgundiæ Dux, qui tum Lucemburgi agebat, postquam pacem inter utrumque Regem firmatam esse intelligebat, omni cunctatione remota quindecim duntaxat Nobilibus stipatus Eduardum convenit, ac foederis cum Galliarum Rege initi veritatem edoceri postulat. Eduardus inducias a se cum Ludovico XI. sancitas

(\*) Vide Hist. Eccl. Fleur. contin. Lib. CX. §. CXLII. pag. 412.

Sæcul. XV. A.C. 1475. sanctitas fuisse fatebatur, subjungens, iisdem etiam adscribi, Burgundo omnino integrum esse. Huic tamen arrogantius his verbis reposuit Burgundiæ Dux:  
 „ non tam opis tuæ indigus te in Gallias  
 „ evocavi, sed potius ideo, ut ad ea, quæ  
 „ Prædecessores tui in Francia amiserunt,  
 „ denuo recuperanda tibi auxilium præstarem;  
 „ quod vero foedus tuum attinet, nullatenus eidem adscribi volo,  
 „ nec unquam cum Gallis pacem aut inducias percutiam, nisi hi prius trajecto mari ad suos revertantur; nondum etiam temporis induciæ, quas ambo ad acceptandos pacis articulos vestris foederatis præscripsistis, exierunt. His dictis præcipiti prorsus gressu abiit, ac nonnisi Mense Octobri pactis induciis accessit.

## §. LXVIII.

*Secretarius Connestabilis ad Galliarum Regem missus.*

*Commin. l. 4. c. 3.* Inopina foederis cum Anglis initi fama haud minori admiratione Connestabilem affecit. Is Eduardum ob injuriam, quam ei nuper in oppido S. Quintini intulerat, merito sibi offensum credebat, hinc illum adire veritus, ad Galliarum Regem confugit, missis hunc in finem Crevilla, & Richerio, quem ab epistolis habuit